

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0312

0310

0316

0306

0321

0301

0361

0261

0411

0211

0811

299

usque ad numerum XX. millium crucem acceperunt dicentes, se velle ire in subsidium terrae sanctae, qui turmatim ad diversos maris portus divisi accesserunt et inanes ac vacui redierunt. Ferebant autem, quod vetulus de monte, qui Arsachidas a pueritia nutrire consueverat, duos clericos cismarinos longo tempore in carcere detinuerat, qui cum essent homines valde litterati et eos comperisset in nigromantia instructissimos, asseruit, se numquam illos dimissurum, nisi pueros Francorum et Alemannorum illi adducere affirmarent. Ab his ergo affirmantur praedicti pueri diabolica illusionem et falsis visionibus ac promissionibus inducti, ut crucem acciperent, quia non nisi per innocentes pueros Deus terram sanctam et Jerusalem recuperare decrevisset. Et cum ad portus maris venissent, multi de eis a piratis submersi sunt, multi Sarracenis venditi et aliis exteris, multi prae inedia mortui, et aliqui ad parentes reversi. Qualis delusio puerorum aevo nostro accidit anno Domini 1454. peregrinari volentibus ad sanctum Michaellem. Quae peregrinatio quam utilis fuerit, inutilis finis ejus patefecit.

(294 A) Anno Domini 1217. post concilium Lateranense signati sunt cruce innumeri contra haereticos Albigenses, sicut Simon comes Montisfortis, in cuius comitatu erat sanctus pater noster Dominicus et Guido, filius praefati comitis, et Ludwicus, filius regis Francorum. Aliqui vero et major pars cruce signati sunt in subsidium terrae sanctae et recuperationem Jerusalem. Eo enim anno exspiravit treugarum tempus inter Christianos et Sarracenos, unde exercitus Christianorum, qui post Lateranense consilium crucem acceperant, transito mari in Ptolemaidem vel Acon venerunt. Erat autem copiosus exercitus cum tribus regibus, scilicet Jerusalem et Hungariae et Cyprae. Affuit etiam dux Austriae et Pannoniae, magnaque militia regni theutonici; rex autem Jerosolymorum tunc erat Johannes nomine, qui ex duce Viennensium in Francia electus fuerat rex Jerusalem prioribus annis, vir utique strenuus in armis et devotus, ex stirpe progenitus illius clarissimi viri Gothfredi, primi regis Jerosolymorum, cui Conradi quaedam marchionis filia desponsatur, et ambo apud Tyrum coronantur. Assumptis itaque armis se ad bellum contra crucis hostes

Ende

Anfang